



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

3 Vtrum propria contrarietas inter qualitates, vel omnes, vel solas
inueniatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94179](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94179)

malem requirere e simultaneous existentiam vtriusque formæ in eodem subiecto: imo hoc ipsum est contrarietatem expulsiōis formalis, quæ in hoc consistit, vt effectus formalis vnus formæ ex natura rei repugnet in eodẽ subiecto cum effectu formali alterius: si autem formæ sunt simul, quantum ad id non habent effectus formales repugnantes, vnde quantum ad id non habent propriam contrarietatem, vt sect. 4. declarabimus. Vnde, si fortasse, dum ita simul existunt, vna forma operetur aliquid ad destructionem alterius (quod raro vel nunquam contingit, vt postea videbimus) iam illa non est expulsio formalis, sed effectiua; quia non est nisi efficiendo aliquid aliud, quod sit formaliter incompatibile cum præexistente forma, vt si calor & frigus vt quatuor sint simul, non potest ille calor quicquid operari ad destructionem frigoris, nisi operetur ad augmentum sui, quod est formaliter incompatibile cum tanto frigore.

XVII. Tertia conditio in illa particula contenta est, quod hæc expulsio sit mutua. Cuius ratio facilis est ex proxime dictis, nam hæc expulsio non est effectiua, sed formalis, & ideo non attenditur iuxta vim agendi, sed iuxta modum informandi. Ex quo necessario sequitur vt sit reciproca: nam si effectus formalis vnus qualitatis est per se & directe repugnans cum effectu formali oppositæ qualitatis, necesse est vt etiam è cõuerso formalis effectus alterius, alteri repugnet. Cõtra hanc vero conditionem specialiter procedit obiectio supra facta: ad quam breuiter dicendum est, solum oportere hanc expulsionem esse mutua: quantum est ex vi propriorum effectuum formalium talium qualitatum: nihilominus tamen ex parte agentium contingere posse, vt ab aliquo subiecto nõ possit expelli aliquid contrarium, vel propter diminutionem à propria forma, si sit adeo intrinseca, vt impediri nõ possit ab intrinseco agente, vel si sit dispositio ita necessaria, vt illa ablata statim subiectum corruptatur. Et ideo Aristot. cap. de oppositis, cum dixisset contraria sese vicissim expellere, addidit, nisi alterum insit à natura.

Corollaria ex precedenti doctrina.

XVIII. EX hac declaratione definitionis contrariorum colligi facile possunt variae differentiae contrariorum ab aliis oppositis, quæ partim in discursu huius & precedentis sectionis tactæ sunt, partim sumuntur ex Aristotele in cap. de oppositis. Ex quibus tres hoc loco breuiter notandæ & declarandæ sunt. Prima est proprie inter contraria & relativa. Nam in relatione vnus oppositorum insit existentiam alterius, non vero in contrariis: non enim, si vnus est (ait Aristoteles) aliud necessario erit: quod etiam dici potest de priuatiue aut negatiue oppositis: tamen quia in illis alterum extremum nihil est, ad contraria specialiter accommodatur. Videtur tamen huic doctrinæ repugnare idem Aristoteles 2. de celo text. 18. dicens: Si vnus contrariorum sit in rerum natura, aliud etiam esse debet. Respondetur, proprium sensum illius differentie esse vnus relativorum ex propria & intrinseca ratione, inferre existentiam alterius sibi oppositi, quatenus eius esse consistit in respectu ad illud: vnus vero contrariorum non ita inferre aliud ex sua particulari natura sed potius, quantum est ex se, destruere illud. Nihilominus tamen verum esse potest, quod alioloco Aristoteles intendit, scilicet, in ordine tamen ad complementum vniuersi necessarium fuisse, vt existente vno contrariorum, existeret etiam aliud, tum propter rerum varietatem, ex qua pulchritudo vniuersi consurgit, tum etiam propter vicissitudinem corruptionum & generationum, qua vniuersum conseruatur: tum denique quia eadem est potentia contrariorum, quæ in diuersis saltem subiectis petit in actum reuocari.

XIX. Secunda differentia maxime versatur inter contraria & contradictoria opposita, quæ suo modo ex-

tendi potest etiam ad opposita priuatiue. Nam inter contraria quedam sunt immediata, alia, quæ medium habent: contradictoria vero semper carent medio. Circa quam differentiam est aduertendum triplex medium excogitari posse inter opposita. Primum dici potest ex extremis, quod proprie dicitur esse per participationem extremorum, quia ex illis refractis, vel virtute vel formaliter constat, vt sect. 4. declarabimus. Secundum dici potest medium inter extrema, vt est virtus inter vitia, quod cum præcedente conuenit, quia est aliqua forma positiua: differt tamen, quia non componitur ex extremis, quauis materialiter in aliquo cum vtroque conueniat, vt explicui supra lib. 10. Metaph. cap. 10. Tertium medium dici potest abique extremis, id est, per solam abnegationem extremorum. Quedam ergo contraria sunt immediata quantum ad positium medium, vt amor & odium; alia vero carere etiam solent medio per abnegationem extremorum respectu ad æquati subiecta, in quo inueniri possunt, vt Aristoteles docet in c. de Opposis: qui tamen exempla adhibet in quibusdam, quæ non sunt proprie contraria, vt sunt par & impar, sanum & ægrum. At vero inter contradictoria nullum medium ex his locum habet, vt per se constat, & latius dicemus infra disput. 54. sect. 5. Inter priuatiue autem opposita non potest dari medium positium, vt per se constat, quia nihil potest coalescere ex affirmatione & negatione, quam includit priuatio: neque etiam cogitari potest forma positiua inter negationem & habitum positium cui opponitur. Et in hoc differt priuatiua oppositiua cõtraria absolute sumpta. At vero medium per abnegationem reperiri potest aliquo modo inter priuatiue opposita, in quo differunt à contradictoriis, vt latius declarabimus dicta disput. 54. Conueniunt autem cum contrariis, licet in hoc habeant aliquam diuersitatem, nam contraria habere possunt hoc medium, etiam in subiecto capaci: carere enim potest voluntas & virtute & vitio: priuatiue autem opposita solum possunt habere hoc medium in subiecto extraneo & incapaci, nam si subiectum sit aptum, necesse est vt vel habeat formam, vel illa careat, quod si careat, priuatum erit cum aptum iam supponatur. Et huius ratio à priori est, quia ceteris paribus immediatior, formalior ac maior est oppositio priuatorum, quæ in negatione consistit, quam contrariorum, quæ positiua est. Vnde etiam obiter intelligi potest, quod licet duæ formæ sint contraria, priuationes earum nullam inter se habent oppositionem: ideoque possunt esse simul in eodem subiecto capaci, vt ostensum est.

Tertia differentia assignatur inter cõtraria, & priuatiue opposita, scilicet, quod inter cõtraria est mutua transmutatio & vicissitudo circa idem susceptiuum, scilicet, quantum est ex parte eorum, vt in definitione explicatum est: inter priuatiue autem opposita non est ita, quia à negatione ad habitum non est regressus. Quæ differentia etiam, inter priuationem & negationem assignari solet, & ideo latius à nobis explicabitur dicta disput. 54.

XX.

Differentia
inter opposi-
ta contraria
& priuati-
ua.

SECTIO III.

Verum propria contrarietas in omnibus & solis
qualitatibus inueniatur.



In hac sectione declarandum est, quomodo hæc oppositio tribuatur qualitati, vt proprietati eius, an, scilicet, in omni rigore, vt propriū dici solet, quod cõuenit omni & soli, ac semper. Quamquam de hac vltima conditione nulla in præsentia sit quaestio, nam si qualitas habet contrarium, ex natura sua illud habet, & hoc sensu dicitur semper illud habere, siue illud existat, siue non, de quo etiam iam

I.

Rr 4

dixi-

dicimus sectione præcedente, quomodo possit esse vel non esse necessarium. Alia igitur duæ conditiones hic breuiter declarandæ sint.

Non omnem qualitatem habere contrarium.

II.
Habitus principiorum non habet contrarium.

Habitus scientie.

Species intentionales.

Habitus infusi.

III.
Propria potentia caret contrario.

Passibiles qualitates maxime contrarium habent.

IV.

V.

ET primum quidem dicendum est, non omni qualitati conuenire ut habeat contrarium. Hoc facile patet discurrendo per omnes quatuor species qualitatis. Nam inter habitus nonnulli sunt, quia non habent contrarium, ut habitus principiorum: est enim quasi spirituale lumē adeo perfectum, ut non possit habere positium contrarium, quod illud expellat à suo subiecto. Idemque opinor esse valde probabile de scientia, quia etiam est perfectum lumē, estque in quodam superiori genere, quod attingere non potest habitus, qui ei valeat repugnare. Vnde error magis proportionate opponitur opinioni, cum qua sub eodem genere contineatur, quam scientiæ, licet, latius loquendo, soleat error dici contrarius scientiæ. Species etiam intentionales contrarium non habent: species enim albi & nigri simul insunt sine repugnantia. Habitus idem insunt, ut ego opinor: non habent proprium contrarium, quia sunt in superiori quodam ordine, in quo esse non possunt inordinati habitus, qui studiosis habitibus illius ordinis opponantur. Quamquam in inferiori ordine possint esse habitus scilicet acquisiti, qui cum illis superioribus habitibus pugnant aliquo modo possint, non tamen per directam ac propriam contrarietatem, hanc enim habent cum aliis habitibus acquisitis, & eiusdem ordinis: Inter actus etiam seu passionem appetitus ponit D. Thomas in 1.2. q. 23. art. 3. actum iræ, qui non habet passionem contrariam: actus autem immanentes, ut supra diximus in prædicamento qualitatis, & in specie dispositionis collocantur.

Rursus in secunda specie constat intellectum, voluntatem, & similes potentias non habere contrarium: imo in hac specie, si potentia proprie sumatur, vix credo inueniatur aliqua quæ contrarium habeat. De eo autem, si proprie sumatur, id est, ut in re ipsa condistinguitur à passibili qualitate: nā si omnis qualitas passibilis, quæ actiua est, sub hac ratione ponatur in illa specie potentie, constat plures esse potentias, quæ habent contrarium. In tertia itaque specie maiorem partem inueniuntur qualitates habentes contrarium: aliqua tamen reperiri potest quæ illo careat, ut lux: & si fortasse sunt aliqua alii nobis ignota. In quarta denique specie nulla est propria contrarietas: vna enim figura non est alteri contraria, licet sit diuersa: pulchritudo autem & deformitas, quæ solent numerari ut contrariæ magis videtur priuatiue opponi. Quod si aliqua ex parte contrarietatem includunt, id est, in quantum aliquam passibilem qualitatem ad suam constitutionem requirunt.

Ratio autem huius varietatis in qualitatibus inuentæ, vix potest alia reddi, nisi quia hæc proprietates non consequitur positivæ (ut sic dicam) ex præcisa ratione qualitatis ut sic, sed ex determinatis rationibus diuersarum qualitatum, quæ iuxta diuersas naturas & fines earum hanc proprietatem participant, quæ generi qualitatis ut sic non repugnat. Aliæ vero qualitates secundum proprias differentias, & munera non habent naturam aptam ad huiusmodi oppositionem quod quidem in diuersis qualitatibus ex diuersis capitibus provenire potest, ut in figura ex eo, quod solum est quidam terminus quantitatis: in intellectu & voluntate, quia sunt facultates intrinsece consequentes spirituales substantiæ: in lumine vero, quia est qualitas nobilissima, & communis corporibus incorruptilibus, & sic de aliis.

Quomodo contrarietas sit, vel non sit propria qualitatum.

Secundo dicendum est, non solas qualitates habere contrarium, quamvis sub aliqua ratione pos-

sit hoc singulariter attribui. Declaratur breuiter utraque pars. Et primum constat iuxta commune modum sentiendi Philosophorum motibus & actionibus contrarietatem attribui, quæ tamen qualitates non sunt: quod satis esset ad prioris partis probationem: est autem aduertendum, inter mutationes vel motus duplicem inueniri oppositionem. Vna est inter generationem & corruptionem, & omnes alias quæ ad modum corruptionis & generationis se habent, ut intensio & remissio, & hæc oppositio non est proprie contraria sed priuatiua, quia altera ex his mutationibus scilicet, corruptio non est positiva, sed priuatiua. Alia vero est oppositio inter actiones vel mutationes positivas, ut inter calefactionem & refrigerationem, & inter has potest inueniri propria contrarietas, quæ radicaliter nascitur ex contrarietate terminorum, ut ex 5. Phisic constat. Vnde qualis fuerit contrarietas inter terminos talis erit inter ipsas mutationes.

Dupliciter autem possunt duo termini mutationum dici contrarii. Primo ex eo solum, quod sunt duo extrema alicuius latitudinis, quæ potest successivè pertransiri, ab vno ad alterum terminum tendendo, vel redeundo. Et hæc contrarietas non semper est propria, sed ita appellatur per quandam imitationem, ut duo extrema puncta vnius lineæ, reuera non sunt contraria, cum sint eiusdem rationis, tamē si considerentur quatenus ab vno potest iri ad aliud, & e converso sic dicuntur habere contrarietatem in ratione terminorum: quia sunt termini positiui, & habent quandam repugnantiam in ordine ad tales motus. Alio vero modo possunt termini mutationum esse contrarii propriissima contrarietate supra definita: quomodo calor & frigus sunt termini contrarii respectu oppositarum alterationum. Prima ergo contrarietas late sumpta, communis est aliis rebus vel mutationibus, ut constat: secunda vero solum est inter qualitates vel inter mutationes ad qualitates proprie contrarias, ratione ipsarum qualitatum.

Hoc ergo modo conuenit specialiter soli qualitati habere contrarium nempe proprie ac perfecte, & tanquam radici & fundamento, ratione cuius talis contrarietas in ipsis actionibus vel mutationibus participatur. Vnde in ipsis etiam mutationibus augmentis & decrementis (si attente res consideretur) oppositi & magis est ratio priuatiua quam proprie contrarietatis. Inter motus autem locales contrarietas potius est in quadam diuersa habitudine inter eosdē terminos, quam in substantia vel entitate ipsorum motuum, qui aliqui esse possunt eiusdem rationis, ut sunt verbi gratia, inter motus aut ab Athenis ad Thebas, aut à Thebis ad Athenas.

Extra prædicamentum qualitatis, actionis & passionis, propriam contrarietatem non inueniri.

MISSIS autem motibus & mutationibus, vel actionibus, in rebus aliorum prædicamentorum extra qualitatem nulla est propria contrarietas. Quod quidem de substantia expresse docet Aristoteles in capite. De substantia: estque satis notum de materia prima & de formis vel substantiis subsistentibus ut sic, quia non respiciunt subiectum, in quo possunt habere contrarium. De formis autem substantiabilibus difficilis redditur ratio, cur inter formam ignis & aquæ, verbigratia, non sit propria contrarietas: nam videntur sub genere formæ elementaris summe distare, & ab eodem subiecto mutuo se expellere. Quidam respondent, illas formas non esse contrarias, quia non se ita expellunt ab eodem subiecto, ut illud ab vna ad aliam successivè transeat per aliquod medium, quod participet extrema. Sed certe hoc non est necessarium ad contrarietatem: amor enim & odium contra-

contraria sunt, inter quæ non est transitus successi-
uus, nec per medium positivum, quod constat ex ex-
tremis. Videtur ergo dicendum inter formas substan-
tiales non esse propriam contrarietatem, quia respec-
tu materiæ non habent repugnantiam ex peculiari
conditione, sed ex generalisatione formæ substan-
tialis absolute constituentis essentiam, seu speciem
rei. Et propterea etiam non opponuntur ut propria
extrema alius generis, quæ ex propriis rationibus
illam propriam ac peculiarem repugnantiam inter
se habent: quo modo intelligenda est contrarietatem
definitio. Ex quo à fortiori constat etiam inter diffe-
rentias substantiales non esse propriam contrarieta-
tem, præsertim Physicam, de qua loquimur: quam-
vis metaphysice soleant contrariæ appellari. De aliis
verò prædicamentis accidentium nulla est difficul-
tas, ut patet ex dictis supra de quæritate, & ex discus-
sione exteriorum constabit.

SECTIO IV.

An contraria possint aliquo modo simul esse in
eodem subiecto.

DVo præcipue in hoc titulo continentur:
primum est, an naturaliter possint con-
traria simul esse saltè refracta seu remis-
sa: si sint perfecta, non est locus quæ-
stioni, ut ex ipsa definitione constat, quæ
saltem intelligi debet ex natura rei. Ex quo oritur al-
tera quæstio, an saltem de potentia absoluta & super-
naturaliter possint contraria simul esse, etiam in esse
perfecto.

An ex natura rei, contraria simul esse repugnant
etiam in gradibus remissis.

Circa priorem partem aliqui existimant, qualita-
tes contrarias in nullo gradu, etiam remisso pos-
se simul esse ac formaliter in eodem subiecto: sed so-
lum virtualiter, ut sunt colores extremi in mediis. Ita
tenet Gregor. in 1. dist. 17. q. 3. & sequitur Soncinas 10.
Metaphys. quæst. vltima. Fundamentum eorum est,
quia qualitates non sunt contrariæ ex vi intentionis,
sed ex vi suæ essentia: specificæ, dicente Aristotele 10.
Metaphys. text. 13. & 14. contrarietatem esse opposi-
tionem secundum formam: quæ forma, seu essentia
integra est in quocumque gradu quantumvis remisso:
ergo. Secundo, quia qualitates mediæ inter extrema
sunt veræ qualitates constitutæ in aliqua specie qua-
litate: ergo non possunt consistere ex ipsis extremis
formaliter sumptis, quia impossibile est ex speciebus
diversis & completis in suo genere tertiam speciem
componi. Antecedens vero patet inductione in co-
loribus mediis: negari enim non potest quin sint pro-
prie ac per se qualitates: idem autem videtur de tem-
peramento, verbi gratia, ad formam misti, nam sicut
forma illa est per se una, ita & dispositio ad illam: ergo
in illa qualitate non sunt extrema formaliter, sed
virtute: ergo eadem ratione idem dicendum est, quo-
tiscunque videtur dari qualitas mediæ inter hæc ex-
trema. Tercio adducit Soncinas nonnulla testimo-
nia Commentatoris, & Divi Thomæ, quæ infra pro-
ponemus.

Non repugnare contraria in gradibus remis-
sis ostenditur.

Nihilominus dicendum est, fieri posse naturaliter,
ut duæ qualitates, quæ in esse perfecto & inten-
so simul esse non possunt, in gradibus remissis simul
sint in eodem subiecto. Hæc est communis sententia
Metaphysicorum in lib. 10. vbi Iauel. quæst. 13. & Ca-
preolus in 1. dist. 17. quæst. 2. ad argum. cont. 2. concl.

Marfil. 2. de Gener. quæstione 6. & alii quos inferius
citabimus. Et videtur manifesta hæc sententia Ari-
stotelis 5. Physicorum cap. 2. & 4. vbi ait, aliquod esse
magis minusve tale, quod plus minusve habet de ad-
mixture contrarii. Et cap. vltimo text. 62. fatetur con-
traria aliquo modo esse simul in eodem: & 2. de partib.
cap. 1. dicit, primam compositionem esse ex qua-
tuor primis qualitatibus. Idemque sumitur ex 2. de
Anima, text. 123. & 124. & ex aliis locis, quæ supra ci-
tauimus disputatione 15. sectione 10. num. 41. & se-
quentibus.

Et potissimum probatur hæc sententia experien-
tia, quæ tam evidens videtur, ut eam negare sine co-
gente ratione philosophicum non sit. Quando enim
aqua calefit ab igne, evidens videtur aliquem for-
malem calorem in se recipere, & tamen non statim
amittit totam frigiditatem, manet ergo ibi simul il-
la duo contraria refracta. Deinde aliàs sequitur fri-
giditatem, verbi gratia, nunquam intendi aut remitti,
sed statim ac incipit actio ignis in aquam, omnino
definire totam illam qualitatem, quæ est frigiditas,
& aliam novam introduci simplicem & virtute con-
tinentem calorem & frigus, consequens est falsum:
ergo. Sequela probatur, quia cum primum ignis agit
in aquam, aliquam positivam qualitatem in eam in-
troducitur: ergo vel illa est formalis calor remissus, re-
mittens etiam frigiditatem, & hoc est, quod intendi-
mus, vel est aliqua qualitas expellens omnino fri-
giditatem formalem, & ita nunquam frigiditas pote-
rit remitti. Minor autem probatur, quia si hæc quali-
tates primæ non sunt intensibiles & remissibiles, cer-
te nullæ sunt: quod quam sit falsum, ostendemus di-
sp. sequente.

Et confirmatur præterea, quia si per primam acti-
onem ignis in aqua tota expellitur frigiditas, & me-
dia qualitas introducit, ergo quamdiu ita progre-
ditur actio, ut illa qualitas plus de calore, quam de
frigore virtualiter contineat, necessarium est totam
illam qualitatem perire, & novam introduci. Con-
sequens autem est falsum ergo. Sequela patet, tum à
paritate rationis, nam si frigiditas intensibilis non
est, & tota statim perit per actionem ignis, cur non
etiam illa qualitas mediæ? Tum etiam, quia fieri non
potest ut una & eadem simplex qualitas per simpli-
cem actionem intendatur, quatenus virtute conti-
net vnum extremum: & remittatur quatenus virtute
continet aliud. Nam si talis qualitas habet gradus
intensionis, omnes sunt inter se proportionati, & e-
iusdem essentialis rationis: & ideo in omnibus & sin-
gulis est proportionalis participatio, seu virtualis co-
tinentia extremorum. Ut, verbi gratia, si color rube-
us virtute continet albedinem magis quam nigredine-
m, in singulis gradibus illius coloris idem modus
continentia reperitur, unde quoties intenditur ille
color, intenditur etiam maior illa virtualis partici-
patio albedinis quam nigredinis; & sic de aliis. Cum
ergo per actionem caloris, in tepiditate fiat maior
participatio caloris, quam frigoris, & antea e contra-
rio res se haberet, non potest id fieri per solam inten-
sionem eiusdem simplicis qualitate: aliàs & illa qua-
litas simul tenderetur, & remitteretur, & gradus illi
non essent eiusdem rationis essentialis, nec propor-
tionati inter se. Oportet ergo ut semper fiat mutatio
totius qualitate mediæ, & veluti mistæ in aliam co-
fectam ex diuersa mixture. Consequens autem esse
falsum patet, quia oportebit vel illam mutationem
non esse continuam, quod est contra veritatem &
experientiam, ut sequenti disputatione dicemus: vel
certe oportebit in successione talis mutationis infi-
nitas qualitates medias mutari, quia in quolibet in-
stante qualitas mediæ aliter se habet: & non per in-
tensionem vel remissionem: ergo per mutationem
vnius qualitate in aliam. Hoc autem vltimum con-
sequens est etiam impossibile, ut ostendemus in si-
mili latius disp. sequente, sect. 1.

Ratio